



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XIII. De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab Excommunicato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

*fragilitate nosse finit & scit, se reficari eos esse dignos, c. Unico hic. ex quo*

10.

Dubium & quaestio oritur, quid agendum Archidiacono, scienti occultum defectum alicujus ex ordinandis. Cujus praeter aliis placet resolutio, quam in *c. cit.* cum Innocentio & Joan. Andr. *n. 10.* dat Laiman. *n. 4.* asserens, eum, si neque ipsum privatim admonitum ab Ordinatione recessurum: neque, si superiori denuntietur, propter defectum probationis ab ea removendum, sperare rationabiliter possit, optimè sibi consulturum, praesep-

tantis officium pro ea vice declinandum. Si verò hoc nequeat, verba in Pontificali praescripta proferre posse, veritate & conscientia salvà; cum enim illa, ut publica non ut privata persona, & secundum publicam & ex praeviiis Scrutiniis sive examinationibus acceptam notitiam proferat, hoc ipsum quòd defectus ita sit occultus, ut praevii etiam accuratà scrutatione non poterit deprehendi, & ab ipso etiam Archidiacono probari, ejusve probatio haberi nequeat, inspectatà publicà & probatà scientia non est indignus.



## TITVLVS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, vel ab Excommunicato.

### SUMMARIUM.

1. Ordinis Minister Ordinarius est Episcopus.
2. Respectu diaconorum, etiam Regularium.
3. Alienos ordinans suspenditur per annum.
4. Licet id faciat sub spe ratihabitionis.
5. Censuratus &c. Ordines illicitè.
6. Sed validè confert.
7. Non tamen tribuit Ordinum executionem.
8. Extraordinarium Minister potest esse Sacerdos.
9. Minores subditis suis Cardinales Presbyteri,
10. Et Abbates conferunt.
11. Subditis suis Regularium.
12. Non etiam Novitiis,
13. Aut subditis secularibus.
14. Simpliciter sacerdoti committi non collatio Presbyteratus.
15. Sed Sub - & Diaconatus.
16. Qua concessa fuit Abbatibus Collegiatis.

**O**ccasione Rubricæ ista proponitur Ordinationis ab Episcopo excommunicato, eoque, qui Episcopatu renuntiavit, peracta, quis Sacramenti Ordinis Minister sit, discutere juvabit. Et Ordinarium quidem ejus ministerium

strum solum Episcopum ( Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham & præcipue summum Pontificem ) consecratum esse, patet ex *can. 1. §. Ad Episcopum dist. 25. can. Quamvis 4. dist. 68. & Concilii Tridentini sess. 23. cap. 4. & can. 7. de Sacram. Ord.* quantumvis ad Episcopatum per saltum, hoc est, nullò aliò, præter Sacerdotalem Ordinem, susceptò, sit promotus; cum sicut Sacerdotalis, *c. Unico de Clerico per salt. promotus*, sic etiam, qui hunc essentialiter præsupponit, Episcopalis Ordo à Diaconatu, & istò inferioribus Ordinibus non necessariò sit dependens: etiamsi, priusquam, sicut Sacerdotalis, sic & Episcopalis Ordinis actus exerceat, omisi Ordines inferiores sint supplendi. Ita *in c. cit. cum Glossa fin. Holtiensis n. 2. & Fagnanus n. 8.*

2. Non tamen quilibet Episcopus Ordinis Minister est, respectu omnium: sed respectu suæ duntaxat diocesis clericorum ac Religiosorum, saltem non-exemptorum, sive antiquiora, *can. 1. cum seqq. g. q. 2. c. Cum nullus 3. §. Religiosi & c. fin. de Temp. Ordin. in 6. sive Novissimum Jus Trident. sess. cit. cap. 8. de Ref. spectemus.*

Imò etiam respectu Exemptorum, ut *Tit. 11. n. 38. § 74.* insinuatum est, & *in §. Religiosi cit.* notant Laiman *num. 5. & Pirrhing ad Rubr. de Temp. Ordin. n. 25.* nisi ex privilegio Apostolico cum suorum Superiorum licentia, à quocunque Catholico Episcopo valeant ordinari: cujusmodi privilegium Societati JESU à Gregorio XIII. *Constitut.* quæ incipit *Pium ac utile 22. Septemb. 1582.* indultum, & à Paulo V. *Constitut.* quæ incipit *Quantum, pridie Nonas Septemb. 1606.* edita, est confirmatum.

3. Imò Episcopus, alienæ diocesis subditum sine illius proprii Episcopi licentia, scienter vel per ignorantiam affecta-

tam & quemcunque fictum prætextum, ordinare præsumens, suspensionem ab illi collatorum, & probabilius etiam cæterorum Ordinum collatione per annum, *c. Eos qui 2. junctâ Glossâ V. Ordinum, de Temp. Ordin. in 6.* ordinatus autem à susceptorum ab eo Ordinum executione, quamdiu proprio ejus Ordinario videbitur, ipsò factò suspensus decernitur à Trident. *cap. 8. cit.* Quam censuram probabilius non effugit Episcopus, alienum diocesanum ordinans sub spe & prætextu rati habitationis; quia, si hoc liceret, Episcopis alienos diocesanos, sub hujusmodi prætextu & colore ordinandi, & SS. Canonum saluberrimam cautionem eludendi ansa daretur, ut aliis relictis observant Barbofa *in can. fin. q. 2. cit. n. 2. & Pirrhing l. cit. n. 27.*

Neque sub tali prætextu aliquem ordinans defenditur benignitate *can. cit.* Episcopos, qui alienæ diocesis clericos ita ordinaverunt, ab iisque ordinatos clericos, mitius habentis, cum; quia ei Jure posteriori derogatum, Archidiacono *ibi V. Sed contra* videtur: tum verò; quia id factum vel est, exigente aut suadente gravi causâ, ob quam ejusmodi clerici ordinatio ex proprii etiam Episcopi mente non differenda judicabatur; vel, ut Rebuffus *in Praxi Tit. de Forma Dimiss. n. 14.* existimat, proprii Episcopi, non tam rati habitatione approbatum, quam ab ordinante sibi illatæ injuriæ benignâ remissione est toleratum, ut ex verbis *Miserationis intuitu in suo quoque honore recipiet*, cum Rebuffo *cit. n. 14.* colligit *cit. Barbofa n. 3.*

Proprius etiam Episcopus suæ, & ex commissione alienæ diocesis clericos & Religiosos Ordinare licite non potest, si excommunicationis vel suspensionis censurâ irretitus vel depositus sit, *c. 1. & c. fin. de Clerico excommunicato mini-*  
*Nn. 2. str. Co.*

fr. Sc. aut Episcopatu, saltem quoad dignitatem, renuntiavit, c. 1. hic.

An autem alieni, vel proprii quidem diocesani, sed à censurato vel deposito Episcopo, vel post ejusmodi renuntiationem facta Ordinatio valida sit, dubium reddunt textus *can. 1. & can. Si quis 3. dist. 71.* quibus relatis Sardicenis & Niceni Conciliorum decretis, uti & *can. Ordinationes 1. q. 1.* alieni diocesani, sine proprii Episcopi consensu, facta Ordinatio disertè declaratur irrita; ac proinde talis etiam est facta ab eo, qui Episcopatu renuntiavit; cum, quos licitè ordinet, subditos amiserit per Episcopalis dignitatis, imò etiam loci renuntiationem. Similia habentur *Can. Nos consecrationem 9. q. 1. & c. 1. de Schismat.* quorum textuum priori, quæ ab excommunicato facta est, consecratio esse negatur: posteriori verò Episcoporum Hæreticorum ordinationes pro irritis habentur. His tamen non obstantibus, ejusmodi Ordinationis valorem cum Soto in *4. dist. 25. q. & art. 1.* Henriquez *Lib. 10. cap. 21. pr.* & aliis DD. quos refert, meritò defendit Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 3. n. 3.* id desumens ex *can. Secundum 8. dist. 19. can. Dominus 88. §. Memento 9. 1. cit. & can. Quomodo 39. dist. 4. de Consecrat.* Ratio est; quia per consecrationem Episcopo impressum spirituales Characterem, & collatam potestatem Sacramentalem censuræ, depositio, & ipsa etiam renuntiatio, auferre non possunt; proindeque præscriptam materiam & formam cum debita intentione adhibens, perinde ut alii, sic etiam censuratus, depositus, & qui non tantum loco, sed dignitati quoque renuntiavit, sicut Baptismi & Eucharistiæ, sic etiam Consecrationis & Ordinis Sacramenta validè administrabit.

Neque aliud evincunt in contrarium

allegati textus; quia imprimis c. 1. cit. intelligi potest de Episcopo, qui Catholicus, vel saltem ritè consecratus nunquam fuit: vel, non adhibita debita forma, clericos ordinavit. Deinde; quia et & reliquis *can. cit.* Ordinatio non irrita aut irrita reputatur, non quoad substantiam Ordinis vel Characteris: sed quoad suscepti Ordinis usum & exercitium, à quo suspenduntur, qui à talibus Episcopis sunt Ordinati, c. 1. & c. fin. hic cit. & c. fin. de Schismat. Laiman in c. 1. cit. n. 2. & in c. 1. de Schismat. Barbosa n. 3. Gonzalez n. 8. &c. Demum; quia etiam Episcopus, Episcopatu renuntians, non solum validè, sed licitè etiam cum proprii ordinandorū Episcopi licentia, ordinandi potestatem retinet: & si tantum loco sive administrationi & Officio renuntiat, etiam majores; si verò in ipsa dignitati, hoc est, Episcopalis Ordinis executioni renuntiat, saltem primam Tonfuram & minores Ordines, sicut Abbates & alii, qui Episcopi non sunt, conferre potest, c. 1. hic Laiman, Barbosa & Fagnanus in c. cit. omnes n. 1.

Extraordinarius autem Ordinarius, saltem minorum, Minister ex delegacione, non quidem Episcoporum, ea, quæ Ordinis Episcopalis sunt, inferioris gradus Clericis committere non valentium, c. Aqua 9. junctâ Glossâ V. Jurisdictionis, de Consecrat. Eccles. sed ex dispensatione Juris communis ejusque conditionis summi Pontificis commissione, vel speciali istius Privilegiò, esse possunt simpliciter Sacerdotes, Laiman in c. 1. De supplem. neglig. n. 13. Barbosa *alleg. cit. n. 4.* & Pirthing *l. cit. n. 41. in fine* Sic enim S. R. E. Cardinales Presbyteri subditis & familiaribus suis primam Tonfuram & Ordines minores conferendi potestatem obtinent, teste Joan. Andr. in c. 1. De supplem. neglig. n. 14. & alii apud Barbolem *alleg. cit.*

*alleg. cit. n. 15.* sic Abbates seu praelatos Regulares, si Sacerdotes & benedicti sint ( & in casu *e. 1. de Supplend. negl.* non benedicti ) & jus Mitrae & baculi defendendi habeant potestatem, antiquo Jure primam tonsuram cum Lectoratus, ac proinde etiam, quem iste praesupponit, cum Ostiariatus Ordine conferre potuisse, liquet ex *can. 1. dist. 69. & c. Cum contingat 11. de Etate & qualitat. & ex Consuetudine etiam Exorcistatus & Acolythatus Ordines non monachis tantum suis, sed laicis quoque, saltem jurisdictioni eorum quasi-Episcopali subiectis, conferre solitos, satis clare insinuatur, *e. 1. hic & Concilii Trident. Sess. 23. cap. 10. de Reformat.**

11. Novissimò autem Jure Sacrae istius Synodi *cap. cit.* iidem Abbates, quantumcunque exempti sint, subditis tantum suis Regularibus primam Tonsuram & minores Ordines conferendi obtinent potestatem, *Sess. 23. cap. 10. de Reformat. Miranda Tom. 1. Manual. Praelat. q. 38. art. 9. & Barbosa cit. alleg. 3. n. 10.* Ab iisdem hos ordines Regularibus, imò etiam Secularibus cum Dimissoriis ad se venientibus, dummodo Episcopi loci, in quo Ordinatio fit, consensus accedat, conferri posse, à S. Congreg. Card. Interpp. declaratum, asserunt Laiman in *e. 1. cit. n. 17.* Tamburin. *Tom. 2. de Jure Abbat. disp. 2. q. 7. n. 3.* & alii apud *cit. Barbosa n. 13.* de istius declarationis veritate ambigentem, cum *Miranda Tom. 1. Manual. Praelat. q. 38. art. 9.* propter verba Concilii, illis hujusmodi Ordines aliis, quam subditis suis Regularibus, conferendi potestatem generaliter & indistinctè adimentis *cap. 10. cit.* Unde

12. Dubium oritur primò, an Abbates, ordinandi potestatem obtinentes, primam Tonsuram & minores Ordines

conferre valeant Novitiis. Potuisse Jure antiquiore, desumi solet ex *e. Abbates 3. de Privileg. in 6.* cujus textu eos conferre permittuntur *Monasteriorum suorum Conversis*, hoc est, Professis, & qui ad illa convolarint; ut, quod *Glosa 1. Convolarint* addit, ibi convertantur & fiant monachi, id est, Novitiis. Cujus textus dispositioni à Tridentino *cap. 10. cit.* derogatum, etsi probabiliter negant Laiman *Theolog. Lib. 5. Traët. & cap. 9. n. 2.* & Pirrhing *l. cit. n. 55.* partim; quòd correctio Jurium, quantum potest, vitanda sit: partim verò; quòd beneficium Principis interpretandum sit late, *e. Cum dilecti 6. de Donat.* & propterea appellatione Regularium, in materia favorabili etiam Novitii comprehendantur, *e. Religiosi 21. §. Quamvis de Sent. excom. in 6.* Verisimilius tamen cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 158.* & Rodriguez *Tom. 1. Regul. q. 23. art. 2. in fine* id affirmant *cit. Miranda art. 9. conclus. 2.* Tamburin. *quest. 10. n. 3.* & Barbosa *n. 8.* eà ducti ratione; quòd *l. cit.* à S. Synodo Abbatibus solum permittatur ordinatio sibi subditorum, quales absolute sunt soli Professis; Novitii enim eis non subjiuntur absolute & pleno Jure, sed tantum quoad experientiam & probationem Religionis: quæ non exigit, ut ab eis possint ordinari.

Multò minùs, quam Novitiis, minores Ordines, & primam etiam Tonsuram subditis suis Secularibus conferre permittuntur ejusdem S. Synodi *cap. 10. cit.* cujus Decreti dispositione comprehenduntur Abbates aliique praelati, qui nullius sunt Diocesis, habentque proprium & ab Episcopali distinctum territorium & populum, in quem jurisdictionem quasi-Episcopalem pleno jure exercent, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap.*

2. cap. 29. à n. 24. afferens id à sacra Congreg. Card. Interpp. declaratum, & latè Fagnanus in c. Quia nonnulli 28. de Rescript. à n. 24. Contrarium tamen, & satis conformiter ad doctrinam cit. n. 17. traditam defendit Laiman in c. 1. cit. n. 15.

Dubium secundò est, an Abbati aut alii Sacerdoti, qui Episcopus non est, delegari à Papa valeat potestas conferendi Ordines majores. Et Episcopalis quidem Ordinis collationem simplici Sacerdoti committi non posse, Tit. 6. n. 338. est ostensum. De Presbyteratu idem negant Canonistæ & T. T. plerique, propter perpetuam & invariata praxin Ecclesiæ: à qua ne semel quidem ejusmodi potestatem non-Episcopo delegatam esse, constat; nam Chorepiscopi, qui cum suorum Episcoporum consensu aliquando presbyteros ordinasse perhibentur, veri Episcopi fuerunt, similes modernis Titularibus, qui vulgò Suffraganei vocantur, ut ex Damasi Papæ Epist. 4. ad Episcopos Africa ostendit Laiman Theolog. Lib. 5. tract. 9. cap. 9. n. 3. ubi, Chorepiscoporum duo fuisse genera, advertit. Unum veram Consecrationem Episcopalem per impositionem manuum trium Episcoporum consecutorum; ac proinde verorum Episcoporum: qui de Episcoporum dicecesanorum licentia sacros Ordines conferre permittebantur à Concilio Antiocheno can. 10. Alterum, ab uno tantum Episcopo ordinatorum; ac proinde simplicium Sacerdotum potius quam Episcoporum: qui, quòd suo munere non contenti contra primam Ecclesiæ institutionem, minorum Ordinum, & his adnumerati Subdiaconatus collationem ipsis permittentem, Episcopalem consecrationem ambitiosè extorquerent, eorum Ordo cum tempore fuit reprobatus,

can. Chorepiscopi 5. dist. 68. ut in can. Quamvis 4. eadem dist. notat Barbosa n. 3. & 7. & latè Henriquez cit. Lib. 10. cap. 23. §. 2.

Idem de Diaconatu & Subdiaconatu cum S. Thoma in 4. dist. 259. q. 9. art. 1. Bellarmino de Sacrament. Ordinibus cap. 7. ad finem Suarez de Sacram. dist. 11. f. 3. & aliis negat Barbosa cit. alleg. 3. n. 4. Sed melius cum Panormita in c. Quando 4. de Consuet. n. 9. affirmant Major in 4. dist. 7. quest. unic. Rodriguez l. cit. q. 18. art. 3. & Vasquez p. 3. dist. 243. §. 4. præcipuè permoti, illos conferendi Privilegiò, Joanni Abbati Cisterciensi & quatuor Coabbatibus ab Innocentio VIII. concessò 1489. cujus verba, illos conferendi potestatem spectantia, refert Tamburin. dist. cit. q. 5. n. 1. & ipsum Originale à se inspectum: & usum, saltem in locis, ubi Tridentinum non est receptum, vigere: imò etiam alibi praticari posse, plures DD. testantur apud Aluifet de Privileg. Ord. Regular. sect. 3. cap. 20. §. 1. n. 8. quòd à Concilio Tridentino cit. cap. 10. non sit revocatum; cum ejus Concilii PP. sicut consecrationem Ecclesiæ & confirmationem, sic etiam sacri Ordinis Diaconatus & Subdiaconatus collationem simplici Sacerdoti committi posse, non ignorarent; quia, sicut illa, sic & ista Ordini Episcopali Jure solum Humanò est reservata: & si reservata fuisset Divinò, gravis in isto erroris Pæpam illius privilegii concessio redigueret.

